



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 4. Qui fugiant, qui ambient regimen?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

lant, quasi rationem pro animabus vestris red-
dituri. Quare si pro nobis ipsis rationem dif-
ficilem habituri sumus, cur volumus eam
difficultatem duplicare? Nonne temerarius
est, qui cum præ debilitate ouem humeris
suscipere vix potest, cum Milone conatur
gestare bouem?

§. IV.

Qui fugiant, qui ambient regimen?

Agnouerunt hanc regendi alios difficul-
tatem vel ipsi Ethnici. Socrates, apud Plato-
nem, miratur eos, qui volentes imperium
suscipiunt, cum nullus probus magistratus
sibi, sed subditis eorumque commodis in-
tendat seruiatque. Quapropter existimat,
probos viros ad magistratus capessendos in-
uitos adigendos esse poena, vel præmio pro-
posito. Hodie improbi, vel per adulatione-
nes, vel per pecuniam, vel per alias occultas
artes, ne dicam per Simoniam, grassantur
ad magistratum, vt eò profundius inde in-
barathrum Acherontis cadant, quò altiùs
ambitione ascenderunt. Vnde fit, vt cum
probi non solum non ambient, sed etiam
fugiant hæc splendida, improbi autem om-
nibus neruis ad ea contendant, tam pauci
probi, tam multi improbi ad sceptræ, aut

Plat di-
al. 1. de
legibus.

claves euehantur. Qui rectè iudicat, iudicat vel summos vertices esse *seruos seruorum*. Siquidem Antigonus quoque Macedonum rex, cùm videret filium insolentiùs regere suos: *An ignoras inquebat, fili, regnum nostrum esse splendidam seruitutem?* Quam seruitutem quia experti, multi sponte sceptrum ac purpuras deposuerunt. Quorum agmen clausit Carolus V. duxit Augustus, qui, teste Suetonio, non semel cogitasse dicitur de administratione Reipublicæ populo Romano reddenda. Nec desijt, vt Seneca tradit, quietem sibi precari, & vacationem à Republica petere.

Sueton.
in Augusto.

§. V.

Episcopatum qui fugerint?

Quod si ita est in magistratu ciuili, quid erit in magistratu Ecclesiastico, atque spiritali? Hinc S. Chrysostronus Episcopatum tantopere fugit, vt docet ipsè sex libris de sacerdotio. Ad eundem modum D. Ambrosius, D. Augustinus, D. Gregorius, D. Fulgentius, D. Thomas, alijq; complures mitram fugerunt. De Nilamone Nicophorus hæc narrat: *Theophilus vnà cum Isaacio monacho, hieme inuenite, Alexandriam venit, Accidit autem vt Geras appelleret, oppidum*

Nicoph.
lib. 13.
Eccles. hist.
c. 17.